

I T A L I A.

parent, postea Græcorum fabulas & commenta edocti, à receptis Etruscorum institutis deflexerunt, & novam sibi religionem cuderunt, adeo, ut Commentarios, in quibus Numa Pompilius simplices ævi sui ritus præscripserat, multis post ipsius obitum annis in monte Ianiculo repertos, necesse fuerit ex Senatusconsulto comburi, ne curiosiora quorundam ingenia sinistra inde, contra factam in rebus sacris mutationem, suspicionem conciperent. Illud legitur, jam ante Romuli principatum sacris in Latium præfuisse Sacerdotes varios ab Euandro Arcade institutos, nempe Lupercos, Panos, Lycæi, vel Inui Sacerdotes, Cereris Græcam Sacerdotem, quæ sine viro ætatem transigebat: Potitos & Pinarios, Herculis Sacerdotes. Sub Regum imperio plures additi, quales erant Fratres Arvales XII: Sacerdotes publici LX: Augures IIII: qui successu temporis aucti ad XV: Haruspices VIIII: Tribunus Celerum: Curiones XXX: Sodales, Titii vel Titienses: Flamines XV, quorum tres majores & Patricii vocabantur, quod ex eo ordine crearentur, Dialis Iovi sacer, Martialis Marti, Quirinalis Romulo vel Quirino: duodecim autem minores & plures: Sallii XII: Virgines Saliarum: Feciales XX, cum patre Patrato, qui foederum iudices erant: Pontifices XV, quorum unus populi Romani suffragiis creabatur, cæteris prælatus, qui vocabatur Pontifex Maximus, in omnes Sacerdotes maximam & supremam habens potestatem: Sallii Agonenses vel Collini, & XV Viri sacris faciendis, cum Magistro, qui librorum Sibyllinorum curam gerebant. Quibus omnibus, post Reges exactos, sub libera Consulium republica, adjuncti, Rex sacrorum, cujus uxor Regina sacrorum: Sacerdotes Bonæ Deæ fœminæ: Galli Sacerdotes Deæ Cybeles cum Archigallo: Septemviri Epulorum: Duumviri Ædis locandæ, faciendæ, dedicandæ: Triumviri ædibus sacris, incendio absumptis, ædificandis: Triumviri Sacris conquirendis, donisque persequendis: Sacerdotes Deorum singulorum: Antistites denique templorum singulorum.

Interfecto Julio Cæsare, Pontificatum Maximum per vim invasit M. Æmilius Lepidus, quo mortuo eundem ad se transtulit Augustus, eumque sequuti Imperatores alii, decens rati, ut penes quos imperii, etiam rerum sacrarum esset auctoritas & potestas summa. Primus Gratianus publico edicto se Pontificem Maximum appellari vetuit, ex quo tempore abolita illa in Imperatoribus dignitas defecit, donec postmodum renata fuit in Præsulibus Romanis. Post hunc Theodosius Imperator, Augures, Flamines & Flaminicas, Virgines Vestales, Pontificesque cæteros majores & minores, cum reliquis vetustæ superstitionis Sacerdotiis sacrisque sustulit, reclamante nequicquam Senatu, anno CCCXC. Lupercos, qui diutissimi perseveraverunt in republica Romana, abolevit Gelasius

Italia.

Papa, Anastasio Imperatore & Theodorico Amalo Gothorum rege in Italia regnante, circa annum CCCXC.

Verum enim vero cum religionis suæ exercitium liberum impetrassent à Tiberio Imperatore Christiani, qui etiam ipse ad Senatum detulerat, Christum Deorum numero adscribendum, jamque & serpere per universam Italiam inciperet Christiana fides, quin & prævalere, circa annum Domini CCC factum fuit, ut Ecclesiis passim summi Numinis gratia collectis præfecti fuerint Diaconi, Presbyteri, & Episcopi. De Christianis ipsis eorumque moribus ita perhibet Plinius lib. 10, Epistola ad Trajanum: Adfirmabant hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, (ita Christianam religionem nominat homo non Christianus) quod essent soliti statim die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere; sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent; quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium, quod ipsum facere desiisse post edictum meum.

Quum autem crescente paulatim fidelium numero, Episcopus omnibus Ecclesiis suæ diocesis adesse non posset, ordo Chorepiscoporum creatus est, qui Vicarii erant Episcopi vel Legati. Erant & alii in Ecclesia primitiva ordines: Clericorum, qui ab Episcopis & Presbyteris, sacris initiabantur & erudiebantur: Acoluthorum, quasi dicas, *non Prohibitorum*, quod quum sacra non administrarent, tamen ministerium aliquod suum illis commodarent: Lectorum, qui privato lectionis exercitio in Presbyterio occupabantur, & ad Clericorum gradum promovebantur: Psalmistarum sive Cantorum, qui jussu Episcopi vel Presbyteri aliis præcinebant: denique Exorcistarum, Subdiaconorum, & Ostiariorum. Quin & lapsu temporum, in Conciliis decretum, ut inter multos ejusdem provincie Episcopos eligeretur unus, qui Archiepiscopus esset, penes quem potestas esset Episcopos in Synodum provinciam convocandi: Præsules, sive Pontifices Romanos quod attinet, maximis hos persecutionibus & barbarâ tyrannide exercuerunt Gentilium Imperatores, ad annum usque CCC, quo tempore sub Constantino Imperatore Christianam fidem amplexo, halcyonia illis facta sunt, & sereniores Christi cultoribus dies affulserunt. Postea anceps rursus & varia ipsorum fuit conditio, partim ob Arrianorum & Orthodoxorum acres contentiones, partim ob Gothorum & præcipue Alarici Gothorum Regis in Romam pertinax odium & bellum. Proximi Pontificibus in Ecclesia Romana hodie sunt Cardinales, quorum major est quam Archiepiscoporum & Episcoporum